



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. An intellectus creatus possit supernaturaliter elevari ad videndum
Deum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

inferioris. Et si hoc argumentum aliquid concluderet, probaret etiam posse dari intellectum, qui naturali sua virtute, consilia Dei, ejusque decreta libera cognosceret: quia similiter intellectus Propheta, lumine prophetico illustratus, est compositum finitæ perfectionis & activitatis: quod Scriptura, & SS. Patribus repugnare ostendimus in fine §. præcedentis.

35. Objicies tertio cum Molina: Non repugnat creati à Deo substantiam supernaturalem: Sed illa connaturaliter videret Deum, quia ab illa dimanaret lumen gloriae tanquam proprietatis: Ergo non implicat dari aliquam substantiam intellectualem quæ connaturaliter videat Deum. Minor patet, Major autem in qua est difficultas, multipliciter suadet. Primò quia potest dari, & secundum probabilem sententiam datur modus substantialis unionis inter Verbum & humanitatem assumptam, quò illa extrema substantialiter conjunguntur: Ergo etiam poterit produci à Deo substantia supernaturalis.

Secundò, Divina attributa participantur à creaturis, v. g. sapientia divina participatur à creata, & divinus amor à charitate: Ergo similiter poterit participari à creatura ratio divina substantiæ; & ita, sicut datur sapientia supernaturalis creata, ita potest dari substantia creata supernaturalis.

Tertio, Substantia creata supernaturalis, non repugnat eà ratione quæ est substantia; nam substantia divina est supernaturalis: nec eà ratione quæ est creata: gratia enim, charitas, & lumen gloriae, quæ sunt supernaturalia, entia creata sunt: nec ex parte utriusque simul sumpti, quia non potest esse repugnantia in conjunctione duorum, nisi se teneat ex parte alicujus extremi: Ergo ex nullo capite repugnat.

Denique, Omne accidens dicit ordinem ad aliquod subjectum sibi proprium, & connaturale: Sed accidentia ordinis supernaturalis non possunt habere aliud subjectum connaturale, quàm substantiam supernaturalem creatam: Ergo illa est possibilis. Minor probatur: Accidentia supernaturalia, ut charitas, lumen gloriae, & similia, non respiciunt aliquam substantiam creatam ordinis naturalis, tanquam proprium & connaturale subjectum, ut constat, cum inter potentiam & actum, perfectivum & perfectibile, debeat esse proportio: neque substantiam increatam Dei, cum illa sit actus purus, & incapax recipiendi accidentia: Ergo illa non possunt habere aliud subjectum sibi connaturale, quàm substantiam creatam ordinis supernaturalis.

36. Respondeo negando Majorem, ad cujus primam probationem; dato Antecedente, negatur Consequentia, & paritas. Ratio disparitatis est, quia licet modus substantialis unionis, habeat esse per se, id est non in alio inhaesivè: nihilominus quia hujusmodi esse per se non est completum, sed incompletum, & modale, ideo per habitudinem ad extrinsecum specificari potest. Substantia autem creata, cum intra suam lineam sit completa, non potest specificari per habitudinem ad aliquid extrinsecum, nec consequenter esse supernaturalis; quia (ut supra ostendimus) supernaturalitas formaliter consistit in habitudine ad Deum, ut est in se, & ut transcendit totum ordinem creatum, & creabilem.

37. Ad secundam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: licet enim, non solum divina attributa, sed etiam Dei substan-

A tia, sit participabilis à creaturis, tam in ordine naturali, quàm supernaturali: in hoc tamen differunt, quòd in ordine naturali, attributa participantur participatione accidentali, substantia verò, participatione substantiali: in ordine autem supernaturali, tam attributa, quàm substantia participantur, participatione tantum accidentali: sapientia enim supernaturalis creata, participat rationem sapientiæ divinæ, quæ est substantia; licet non participet modum essendi substantialiter: similiter gratia sanctificans est participatio substantiæ Dei, sed accidentalis: *id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem:*

B inquit S. Doctor 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 2. Quòd verò possit natura divina participari substantialiter in ordine naturali, non autem supernaturali, provenit ex summa perfectione illius ordinis, habentis specificationem per ordinem ad Deum ut est in se: ordo verò naturalis non specificatur per ordinem ad Deum, etiam ut auctorem naturæ; sed habitudo quam quælibet res naturalis dicit ad suum conditorem, se habet solum ut quadam proprietatis, vel modus quidam transcendentalis, in omni creatura imbibitus.

Ad tertiam probationem dicendum est, repugnantiam substantiæ supernaturalis, peti ex conjunctione utriusque simul; supernaturalitatis scilicet cum ratione substantiæ; hæc enim unio est omnino impossibilis, eò quod supernaturalitas consistat in habitudine ad Deum, ut excedentem totum ordinem creatum & creabilem: substantiæ autem repugnet, ab aliquo extrinsecò speciem emendicare, ut supra declaravimus. Ad probationem in contrarium, dicendum est, quòd licet partes divisim sumptæ non repugnent, conjunctum tamen ex illis repugnare potest, ut constat in chimæra: licet enim leo, draco, & capra seorsim sint possibilia, conjunctum tamen ex illis impossibile est, & chimericum.

Ad ultimam instantiam, nego Antecedens: Licet enim omne accidens dicat ordinem ad aliquod subjectum, non tamen essentialiter respicit aliquod subjectum sibi proprium & connaturale, ut constat in accidentibus quæ educuntur ex potentia violenta subjecti, vel quæ introducuntur per artem. Unde in rebus creatis, triplicem potentiam receptivam distinguere solent Philosophi: unam naturalem, in qua recipiuntur accidentia connaturalia subjecto, alteram violentam, in qua subjeantur accidentia contraria, & repugnantia illius naturæ, sicut se habet calor respectu aquæ: aliam denique obedientialem, quæ quodlibet agens subditur Deo, ad recipiendas formas ordinis supernaturalis. Accidentia ergo supernaturalia, respiciunt substantiam, seu potentiam naturalem, non ut naturalis est, sed ut obedientialis, & subdita Deo, seu ut capax recipiendi influxum agentis supernaturalis.

ARTICVLVS II.

An intellectus creatus possit supernaturaliter elevari ad videndum Deum?

E Gimus articulo præcedenti de invisibilitate Dei per vires naturæ, jam demonstranda est ejus visibilitas per auxilium gratiæ, ut confutemus alium errorem aliquorum, qui (teste D. Gregorio) asserbant, beatos non videre

38.

39.

40.

Lib. 18.
moral.
cap. 28.

ipsam Dei essentiam, sed tantum excellentem quandam lucem, & claritatem à Deo emanantem, in qua apparet ut Sol in radijs, in aqua vel aëre receptis. *Sciendum est (inquit) quod fuerunt nonnulli, qui Deum dixerunt, etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fecerit. Neque enim illi simplici & incommutabili essentia, aliud est claritas, & aliud natura: sed ipsa ejus natura, sua claritas; ipsa claritas, natura est, &c.*

Idem attribuitur Armenis, qui etiam dicebant homines beatificari in quadam claritate & fulgore Dei, non tamen ad ejus substantia visionem pervenire posse. Quod etiam docuit Abailardus, ut colligitur ex D. Bernardo Epist. 190. Et Almaricus cujus errores in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. confutavit S. Dominicus. Denique hunc errorem suspicantur aliqui viguisse apud antiquos Judæos, quia D. Hieronymus super caput 1. Isaia, dicit Judæos ideo interfecisse illum Prophetam, quod dixisset se vidisse Deum facie ad faciem, putantes in hoc contraxisse Deo dicenti Exodi 33. *Non videbit me homo & vivet.* Sed incertum est, an illi senserint, Deum non videri posse in alia vita, vel solum in ista. Ut hic error confutetur, & beatificæ visionis possibilitas declaratur, sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

41. **D**ico igitur, Deum posse clarè videri ab intellectu creato, lumine gloriæ confortato, & elevato. Ita constat ex Concilio Florentino in litteris sanctæ unionis, ubi dicitur, *animas plene purgatas intueri Deum clarè, trium & unum sicuti est.* Idem definiat antea Benedictus XI. in Extra, quæ incipit, *Benedictus Deus.*

Plura etiam possunt Scripturæ loca adduci, quæ Deum in alia vita clarè videri, manifestè declarant. Ista nobis sufficient. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Isaia 33. *Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* 1. Ioan. 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.*

42. His Scripturæ testimoniis, quædam rationes adjungi possunt, quibus visionis beatificæ possibilitas, probabiliter suaderi potest; cum enim sit supernaturalis, ratione naturali indemonstrabilis est, ut infra ostendemus. Duas assert D. Thomas hic art. 1. Prima est, quia beatitudo hominis, reipsa posita est in visione divinæ essentia; consistit enim in altissima & perfectissima ejus operatione, quæ est operatio intellectualis: Sed homo potest consequi suam beatitudinem, alioquin esset deterioris conditionis, quam cetera creaturæ, quarum unaquæque potest ad suum finem, & beatitudinem propriam pertingere: Ergo homo potest divinam essentiam, ut in se est, intueri. Quæ ratio abstrahit à celebri illa quæstione, de qua agitur in Tractatu de beatitudine, in quo nempe beatitudo hominis essentialiter consistat, in visione scilicet, vel amore, vel in utroque simul? & solum asserit (quod in omnium sententia certum est) beatitudinem

A in visione Dei positam esse: sive in ea essentialiter consistat, sive eam necessariò tantum requirat.

Hæc ratio magis declarari & illustrari potest, exponendo quæ ratione visio beatificæ sit perfectissima operatio creaturæ intellectualis, & consequenter ejus beatitudo. Illa enim est perfectissima operatio creaturæ intellectualis, quæ est participatio majoris excellentiæ divinæ, quæ plus gloriæ confert Deo, & plus nobilitatis & perfectionis ipsi creaturæ: Sed visio beatificæ habet illas conditiones: Ergo est perfectissima operatio creaturæ intellectualis. Major constat, Minor verò quantum ad singulas partes declaratur.

B Et in primis quod visio beatificæ sit participatio majoris excellentiæ divinæ, constat ex eo quod illa participat divinum intelligere, quod majorem exprimit in Deo perfectionem, quam volitio, & alia attributa, ut supra ostendimus, agendo de constitutivo divinæ naturæ. Deinde cognitio clara & intuitiva Dei, magis illum honorat, quam amor noster, etenim per amorem damus nos Deo, per visionem beatam illum cognoscimus, ejusque perfectiones, & attributa manifestamus: magis autem honoratur Deus, per claram manifestationem suarum perfectionum, quam per oblationem bonorum creaturæ. Sicut si plebeus Imperatorem incognitum manifestaret toti urbi, aut imperio, magis illum honoraret, & plus gloriæ ei conferret, quam si domunculam suam & tugurium ei offerret: secus autem est de cognitione hujus vitæ, illa enim, cum sit imperfectissima, & procedens per conceptus inadæquatos, communes, & confusos, magis deprimit Deum, quam extollat: unde cognitio Dei in via, non est ita perfecta, sicut ejus amor: è contra verò in patria, cognitio in perfectione, & nobilitate superat amorem, ut in Tractatu de beatitudine fusè ostendemus.

44. Quod autem per visionem beatificam plus adveniat perfectionis creaturæ, quam per quamlibet aliam operationem, declarat D. Thomas hic art. 1. ex eo quod in illo est ultima perfectio creaturæ rationalis, quod est ei principium essendi: insantem enim unumquodque perfectum est, in quantum ad suum principium attingit. Unde Picus Mirandulanus definit beatitudinem, *reditum creaturæ ad suum principium*: perfecta autem conjunctio intellectualis creaturæ ad suum principium, fit per claram Dei visionem, per quam Deus immediatè unitur intellectui creato, per modum formæ, & speciei intelligibilis; & à qua dimanat amor beatificus, per quem etiam homo intimè Deo conjungitur, & ad suum redit principium, à quo per creationem exierat, ut eleganter declarat Marsilius Ficinus in convivio Platonis cap. 21. his verbis. *Qui Deum vero amore prosecutus fuerit, Deum inveniet, & se in Deo recuperabit, quia ad suam per quam creatus est redibit ideam, ubi rursus reformabitur, quia idea sua perpetuò cohererebit. Ideo quisquis nostrum in terris, à Deo separatus est, non verus est homo, sed semihomo; cum à sui idea sit, formaque disjunctus.*

45. Secunda ratio D. Thomæ sumitur ex eo quod in homine est naturale desiderium videndi primam causam, cum intuetur ejus effectus: unde cum illud desiderium, utpote à natura indicum, frustrari non possit, saltem in omnibus, dicendum est, intellectum creatum, usque ad ipsam Dei visionem, posse pertingere.

Cui

Cui rationi alia etiam probabilis adjungi potest. Licet enim divina essentia sit objectum improprietatum, & excedens vires naturales intellectus creati, continetur tamen intra objectum ejus adæquatum, & extensivum, ut antea declaravimus: unde licet in creatura intellectuali, non sit potentia naturalis ad Dei visionem, ei tamen inest potentia obediencialis, seu non repugnantia, ut ad illam elevetur.

46. Confirmatur: Quoties aliqua potentia potest imperfecto modo aliquod objectum attingere, non repugnat eam elevari, ad illud perfecte cognoscendum: ut constat in potentia visiva noctuæ, quæ quia imperfectè lumen Solis videre potest, majoribus viribus confortata, Solem ipsum perfecte potest intueri. Ergo cum intellectus creatus, ratione suæ amplitudinis, & universalitatis respiciat ens ut sic, Deo & creaturis analogicè commune, & naturaliter Deum, saltem imperfectè & abstractivè, cognoscere possit: nulla est repugnantia, sed potius summa convenientia, quod ad claram & intuitivam Dei visionem elevetur; cum ad hoc præcipuè conditus sit homo, ut Deum perfecte cognoscat, & diligat. Unde hæc summa amplitudo, & capacitas naturæ intellectualis, quæ respicit ens ut sic, & bonum universale, est præcipua ejus excellentia, radix suæ felicitatis, ac veluti anima, quæ à Deo apprehenditur, & ad claram ejus visionem elevatur.

§. I.

Solvuntur objectiones.

47. **O**bjicies primò: Deus in Scriptura sæpe dicitur invisibilis: ut 1. ad Timoth. 3. *Regi seculorum immortalis, & invisibili.* Et ibidem cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam:* Ergo nullus intellectus creatus ad claram Dei visionem elevari potest. Probatur Consequentia. Quia Jerem. 32. Deus dicitur *incomprehensibilis*, inferunt Theologi, illum à nullo intellectu creato posse comprehendi: Ergo similiter ex eo quod Scriptura dicat illum esse invisibilem, rectè inferitur, ipsum à nulla creatura intellectuali posse videri. Unde 2. Petri 1. dicitur *in quem desiderant Angeli prospicere:* desiderium autem est de re nondum habita & possessa, in quo à fruitione & delectatione distinguitur, quæ circa bonum præfens & adeptum versantur.

48. Respondeo quod quando in Scriptura, Deus dicitur invisibilis, vel à nullo hominum posse videri, hoc debet intelligi, vel de visione corporæ, vel de intellectuali per vires naturæ habita, vel de comprehensiva, vel denique de visione quæ habeatur in hac vita mortali. Unde ad illud quod additur, neganda est paritas: ratio autem disparitatis est, quia nullibi in Scriptura dicitur, quod Deus sit comprehensibilis à creatura; asseritur tamen varijs in locis, supra à nobis relatis, quod ab illa videri potest, & quod de facto videtur à Beatis in patria; sicque ut omnia cohæreant, cum dicitur invisibilis, hoc debet necessariò exponi, aliquo ex his quatuor modis iam relatis.

Ad illud verò quod de Angelis 2. Petri dicitur, respondet D. Gregorius libro 18. moralium cap. 29. his verbis: *Sed quia de Deo per primum Ecclesie Predicatore dicitur: in quem desiderant Angeli prospicere: sunt nonnulli qui nequaquam Deum videre, vel Angelos suspiciantur; & tamen dicitur per Veritatis sententiam scimus: An-*

Tom. I.

Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est. Nunquid ergo aliud veritas, aliud predicator insonat veritatis? Sed si sententia utraque conferretur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant; & sciunt intueri & intuentur. Si enim sic videre desiderant, ut effectu desiderij sui minimè perficiantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt, quia nunquam simul pœna & beatitudo conveniunt. Rursum cum eos dicimus Dei visione satiari, quia & Psalmista ait: *Satiabor dum manifestabitur gloria tua: Considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut ergo rectè sibi utraque conveniant, dicat veritas: Quia semper vident: dicat predicator egregius: Quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vite venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa simul sitis atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.*

- C**Obijcies secundo: D. Chrysostomus hom. 14. 49: in Joan. dicit: *Ipsum quod est Deus, non solum Propheta, sed nec Angeli viderant, neque Archangeli: quod enim creabilis est natura, qualiter videre poterit quod increabile est?* Idem repetit in pluribus homilijs contra Anomæos, ubi passim dicit, Deum non videri ab aliquo intellectu, etiam Angelico.

Respondet D. Thomas hic art. 1. ad 1. D. Chrysostomum loqui de visione comprehensivis, nam statim subdit, *Visionem dei certissimam Patris considerationem, & comprehensionem, tantam quantum Pater habet de Filio.* Sed hanc responsum rejicit Vazquez hic disp. 37. cap. 2. & 3. quia (inquit) Anomæi contra quos agit Chrysostomus, non asserbant Deum comprehensivè cognosci in hac vita: neque enim existimandum est, ita amentem fuisse Eunomium, ut voluisset sibi attribuire infinitam scientiam quam habet Deus, quantum ad modum cognoscendi, sed solum quantum ad rem cognitam: Ergo cum Chrysostomus neget illam quam asserbat Eunomius, non comprehensivam negat, sed quidditativam. Addit Suarez libro 2. de attribut. negativis cap. 7. difficiliorem locum ex ipso Chrysostomo in eadem homilia, in qua ait, *Angelos vidisse quidem Deum in natura assumpta, nam antea non videbant:* qui locus exponi non potest de visione comprehensiva, nam Angeli post assumptam naturam, Deum non comprehenderunt. Denique Vazquez ubi supra multos alios Patres numerat cum Chrysostomo: scilicet Hieronymum, Epiphanium, Theodoretum, Theophilactum, utrumque Cyrillum, Nisenum, Eutimium, Primasium, & alios, qui loquuntur sicut Chrysostomus, & concludit, quod si sincerè loqui velimus, vix possumus Sanctos illos Patres in bonum sensum interpretari.

- E**Sed mirum est, quod ille Author malit Eunomium, & alios Hæreticos, ab infania excusare, quam SS. Patres ab errore absolvere: præsertim Chrysostomum, totius Ecclesie (ut loquitur In-

51.

Epist. 30 Innocentius I. *patrem, & lumen, & propugnaculum.* Porro ut manifestè constet, quantum ille in hoc excesserit, & quam legitima, ac genuina sit D. Thomæ interpretatio, duo breviter hic demonstranda sunt. Primum est, Eunomium, & alios Anomæos, re verà in eam incidisse demeritiam, ut cognitionem comprehensivam Dei sibi arrogaverint, & asseruerint se ita perfectè cognoscere Deum, sicut Deus seipsum intelligit. Secundum est, Chrysostomum in quem præcipuè invchitur Vazquez, pluribus in locis admittere claram Dei visionem in seipso, pro alia vita.

Primum horum constat ex Theodoro libro 4. Hæretic. fabul. tit. de Eunomio, ubi sic ait: *Ausus est dicere Eunomius, se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse Deus de seipso habet &c.* Idem testatur Socrates libro 1. histor. cap. 7. ubi inducens Eunomium, & Anomæos loquentes, sic inquit: *Deus de sua ipsius essentia, nihil plus intelligit quam nos, neque ipsi est magis cognita, & perspecta, quam nobis.* Item Hieronymus super cap. 11. Matth. ad illa verba, *nemo novit Filium nisi Pater: Erubescat* (inquit) *Eunomius, tantam sibi notitiam Patris & Filij, quantum alteruter inter se habent, iactans se habere.* Denique ipsemet Chrysostomus quinque homilij quas scripsit adversus Anomæos, passim eos stolidos, & amentes appellat. Ex quibus constat, Vazquem, cum dixit, Eunomium non fuisse ita amentem, ut comprehensivam Dei notitiam sibi arrogare voluerit, omnino sine fundamento locutum, & contra tam insignes Patres, qui circa ipsa Eunomij tempora floruerunt, & multo melius quam ille Author, ejus hæresim cognoverunt.

52. Quod autem Chrysostomus, pluribus in locis, simpliciter admittat visionem Dei claram pro alia vita, constat ex homil. 3. in Epist. ad Philip. & ex 69. ad populum, & ex Epist. 5. ad Theodorum lapsum: ubi asserit, *Beatos Regem ipsum* (scilicet Deum) *contueri, non per introitum, non per enigma, non per speculum, sed facie ad faciem, non per fidem, sed per speciem.* Idem etiam docet Basilius in expositione Psalmi 33, ubi dicit: *Nos postquam filij Resurrectionis erimus, tunc nosse Deum facie ad faciem dignabimur, sicut Angeli nunc vident ipsum.* Et certè, si in illis SS. Patribus non fuisset cognitio possibilitatis visionis Beatificæ, non fuisset in illis virtus spei, spes enim versatur circa claram Dei visionem, tanquam circa obiectum primarium, ac proinde stare non potest, si illa credatur impossibilis.

53. Ad locum verò quem Suarez refert ex Chrysostomo, facile responderetur, S. illum Doctorem ibi manifestè loqui de visione Dei, non in propria natura, sed in natura assumpta, cujus Angeli non solum habuerunt visionem, sed etiam comprehensionem, non quidem ipsius Dei, sed ipsius naturæ assumptæ; si quidem humanitatem comprehendebant.

Hæc dicta sunt in defensionem magni Chrysostomi, de quo sic loquitur Innocentius I. Epist. 30. quæ habetur tomo 1. Concil. *Assigor de eis, qui sapientissimè, spiritali, & divinè doctrinæ, & institutione ejus orbari, fame verbi Dei conficiuntur. Non enim Ecclesia tantum Constantinopolitana, mellita illius lingue iacturam fecit, sed orbis sub sole totus, ad orbitatem redactus est, viro tam divino amissò.* Ecce cujus

A viri doctrinam, Vazquez noluit ab errore excusare, nec manifestam ejus expositionem admittere.

Objicies tertio: Visio quidditativa Dei, non potest non esse infinita: Sed infinitam visionem nullis viribus potest intellectus noster elicere: Ergo nec Deum quidditativè cognoscere. Major probatur: Cognitio crescit juxta incrementum perfectionis objecti: Ergo cognitio objecti infiniti, recessariò debet esse infinita.

Respondeo negando Majorem, ad cujus probationem, distinguo Consequens: si talis cognitio, infinito, & adæquato modo obiectum infinitum attingat, concedo: si modo inadæquato & finito, nego. Et insto in cognitione Dei, quoad an est, quæ terminatur ad obiectum infinitum, & tamen infinita non est, quia infinito modo circa illud non versatur.

Objicies quarto: Plus distat Deus ab intellectu creato, quam Angelus à visu corporeo: Sed ob hanc distantiam, oculus corporeus elevari non potest ad attingendum Angelum: Ergo à fortiori intellectus creatus elevari non poterit ad videndum Deum, prout est in se ipso.

Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. ad 7. plus quidem distare quoad entitatem, non autem quoad proportionem habitudinis potentia ad obiectum: quia Deus continetur intra latitudinem objecti adæquati intellectus creati, Angelus verò nullo modo est intra obiectum visus corporei.

Objicies quinto: Intellectus creatus non potest elevari ad cognitionem omnium creaturarum possibilium: Ergo nec ad claram Dei visionem. Antecedens est D. Thomæ, & communiter à Theologis recipitur. Consequentia verò videtur manifesta: difficilius quippe est cognoscere ens simpliciter infinitum, quale est essentia divina, quam ens infinitum solum in aliqua ratione, scilicet in quantitate numerica, sicut sunt ad summum omnes creaturæ possibilis.

Respondent aliqui ex nostris Thomistis, concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem, rationemque disparitatis assignant; quia ad cognitionem omnium creaturarum possibilium, requiruntur infinitæ species intentionales, quibus intellectus finitus nequit actuari, nec uti: ad visionem autem essentia divina, sufficit quòd ipsa se communicet intellectui, modo finito & limitato, & se attemperando lumini gloria.

Hæc solutio haud dubiè probabilis est, eaque ut probabilis, in prioribus Theologiæ nostræ editionibus, usi sumus: quia tamen sententia quæ asserit totam possibilium collectionem posse à beatis extra verbum cognosci, & ad hoc infinitas species non requiri, probabilitate non caret; eamque ut probabiliorem infra eligemus: ad argumentum aliter respondeo, nempe quòd licet intellectus creatus non possit elevari ad cognoscendas in verbo, seu in essentia divina tanquam in causa, omnes creaturas possibilis (alioquin ut ibidem ostendimus, comprehenderetur divina essentia) bene tamen ad cognoscendam totam possibilium collectionem extra verbum, per scientiam infusam; quia ex tali cognitione non sequitur comprehensio divina essentia, ut ex ibidem dicendis patebit.